

contempsissent unum & Deum, decem praecepta, circumcisionem post viginti patriarcharum generationes institutam et quinque libros Moysis. — In Talmude (Berakhoth 8. a) ex eo, quod vox **תְּצִוָּה** (= exitus) arithmeticice significat 903, concludunt totidem esse genera mortis. — Messias **מֶשֶׁיחַ** = 358, serpens **נָחַשׁ** = 358; sed vox Messiae una littera serpentem superat, ergo etiam Messias serpentem superabit.

b) *Notaricon* (**נוֹטָרִיקָן** / *nōtārikōn* abbreviatio) est tum dissolutio vocis in sententiam ita, ut singulae litterae pro initialibus vel symbolis totidem vocabulorum habeantur; tum formatio novae vocis ex primis (vel ultimis) litteris vocabulorum propositionis. (Acrostichon.) Propositio vel vox ita nata dicitur sensus arcanus, sub verbis latens.

E. g. III. Reg. 2, 8. Semei (**שִׁמְיָה**) dicitur Davidem maledicto **נַּמְצָה** i. e. *vehementissimo* increpasse. In singulis litteris hujus vocis midras et Talmud (Shabbath 104. b) totidem verba contumeliosa latere existimant: **אֲנָא** adulter, **מוֹאָב** Moabites, **רוֹצֵחַ** homicida, **צָוָרָה** leprosus (vel oppressor), **חוֹעֲבָה** abominatio. — Sanctissimo nomini Jesu abbreviatio **יְשָׁוָאֵל** rabbini (Talmud Jerosol.) hanc supponunt significationem: **יְהֹשָׁמֵן** i. e. deleatur nomen ejus et memoria ejus. Aliae etiam explicationes qabbalisticae et contumeliosae nominis Jesu apud Judaeos prae- sertim medio aevo extiterunt. (Cf. Joann. Buxtorf, *De abbreviaturis, ad vocem ישׁוֹאֵל*.) — Ad quaestionem **לִי יְעַלֵּה - לֹא הַשְׁמִמֵּה** quis adducet nos in coelum? responderunt rabbini litteras quaestione initiales conjungendo: **מֵילָה** = circumcisio. — Litterae vocis **אָדָם** **אָדָם** significant Adam, David et Messiam, unde colligitur animam Adae in David migrasse, et mox in Messiam migratram esse.

c) *Temurâ* (permutatio **תְּמֻורָה** permuteavit) est permutatio litterarum vocis cum aliis, arbitrario vel ad certas leges facta, qua nova vox oritur, quae sensum qabbalisticum exprimit.

Hoc dupli modo fit. α) Permutatione *naturali*, si litterae vocis inter se anagrammatice transponuntur; e. g. **מֶלֶךְ** (Exod. 23, 23.) angelus meus, per translationem dat nomen angeli, qui eo loco intelligendus est: **מִיכָּאֵל** Michael. β) Permutatio *artificiosa* fit aliqua alphabeti inversione, seu in locum litterarum alias secundum certam regulam supponendo. Hujusmodi permutationis duplex est ratio: αα) *athbaš* **אַתְּבָשׁ** scil. pro prima alphabeti littera ultima, pro secunda paenultima et sic porro; ita e. g. (Jer. 25, 26. 51, 41.) pro **בְּבָלָם** posita esse dicitur vox **שָׁשָׁן** ne rex Babyloniae offenderetur; ββ) *albam* **אַלְבָם** pro prima littera Ι ponitur duodecima ℔, pro secunda ־ decima tertia מ etc; ita e. g. Is. 7, 6. pro **טְבָאֵל** quidam rabbini legendum putant aliud nomen proprium **גְּמָלָא**.

Interpretatio qabbalistica, ut patet, tam contorta est atque absurdia, ut eam refutare opus non sit. Certe latus est et aenigma, non investigatio sensus erudita. Sapientia Dei non patitur, ut mysteria sua ejusmodi signis fortuitis, incertis et naturae sermonis contrariis recondat, quum ea aliis modis prudenter revealare possit. Sane rarissime et per exceptionem fieri potest, ut aliquis aenigmata litterarum utatur, ad aliquid interim celandum, postea manifestandum; sed ejusmodi aenigmata non possunt prudenter frequentari.

3. — Interpretatio eclectica.

Maximi interpretes Judaeorum medii aevi et plurimi recentiores, quos eclecticos appellare licet, varias interpretandi rationes conjungunt, aut modo unam, modo aliam sequuntur. Hi etsi interdum saniore interpretandi genere utuntur, plerumque tamen interpretationem pharisaico-talmudisticam, allegoricam, qabbalisticam et rationalisticam confundunt. Imprimis moderni, pars interpretationem allegoricam renovant, quam etiam in vaticinia Messiana extendunt, pars rationalismum profitentur; plerique tamen illi et isti Messiam idealem fingunt, et genti suae gloriam monotheismi, morumque generis humani reformatorum laudem vindicant. Quae omnia argumentis contra singulos errores allatis vel afferendis refelluntur.

Fatendum tamen est, a saeculo XI. multos fuisse Judaeorum interpretes, qui scientiis Arabum et Christianorum imbuti, meliorem in exegesi viam tenerent, sensumque grammatico-historicum, lingua Hebraica, traditione et historia usi, erudite investigarent. Etiam temporibus nostris inveniuntur, qui — interpretatione locorum Messianorum et Novi Testamenti excepta — sanae hermeneuticae leges observant, quamobrem laudem etiam Christianorum meruerunt.

ARTICULUS SECUNDUS.

Interpretatio rationalistica.

§ 99.

Origo, divisio et falsitas rationalismi biblici.

1. — Jam pridem fuerunt, qui supernaturalem Scripturae auctoritatem negarent vel laederent; sed demum saeculo XVIII. sistema rationalismi biblici ortum est latiusque diffusum. Est autem *rationalismus biblicus ipse rationalismus dogmaticus in Biblia applicatus*, *S. Scripturam pro libro naturali habens atque tractans*, et

supernaturalia in Bibliis tollens. Hic duabus causis originem debet: protestantismo, traditionem rejicieni ac rationem solam interpres Scripturae constituenti, et philosophiae incredulae, puta deisticae, pantheisticae ac materialisticae.

Rationalismus dogmaticus est error, qui entis supernaturalis, etiam Dei in mundum et res humanas (naturam et historiam) efficaciam tamquam impossibilem vel superfluam infitiatur, et consequenter negat ordinem supernaturalem ejusque partes: oeconomiam salutis, revelationem, inspirationem, miracula, vaticinia, mysteria (SS. Trinitatem, incarnationem), redemptionem, gratiam ejusque instrumenta, legislationem positivam divinam, ecclesiam divinitus conditam, ipsumque finem hominis supernaturalem.

Protestantes traditionem rejiciendo etiam alterius revelationis fontis, scilicet S. Scripturae, quam retinere volebant, auctoritatem labefactarunt. Quod nemo mirabitur, qui sciat, tum authentiam omnemque auctoritatem historicam, tum inspirationem et auctoritatem canonicaem Scripturae traditione maxime niti. Praeterea auctoritate atque authentica ecclesiae interpretatione sublata, et ratione sola Scripturae interprete constituta ac libertate examinis vindicata, Scriptura variis atque incertis opinionibus permissa est, praedaque omnibus erroribus projecta. Perniciosi hujus rei effectus tunc potissimum apparuerunt, quum protestantismus controversiis liberatus et pace atque imperio potitus, doctrinam suam positive excolere coepit. Merito igitur S. Pont. Leo XIII. (enc. *Prov. Deus*) rationalistas protestantium »filios et haeredes« dicit.

Saec. XVII. et XVIII. invaluit philosophia incredula: deismus, pantheismus et materialismus. Negata autem Dei in creaturas efficacia, imprimis gubernatione mundi et providentia divina, ipsaque Dei saltem personalis existentia in dubium vocata: consequens erat, ut etiam omnis ordo supernaturalis, oeconomia salutis, revelatio, inspiratio, miracula et vaticinia biblica rejicerentur vel viribus naturae tribuerentur. Si enim Deus non esset, vel imperium curamve rerum creatarum non haberet, certe omnia supernaturalia impossibilia, a priori falsa, et naturaliter explicanda essent.

Revera jam Spinoza inspirationem negavit, encyclopaedistae miracula irriserunt, Kant theologiam rationalem impugnavit, Hegel religiones momenta evolutionis entis absoluti autumavit. Maximam autem partem in theologia protestantica rationalismo dogmatico inficienda habuit *Fried. Ern. Dan. Schleiermacher* (1768—1834.) philosophus et theologus pantheista, qui theologiam rationalem et omnem demonstrationem dogmatum rejicit, religionem ad sensum internum et affectus restrinxit, Christum

creaturam, quamvis perfectissimam censuit. Plurimos tamen libros biblicos authenticos agnovit. Lutheranos et Calvinistas in religione affectuum adunare voluit.¹

2. — Quoad essentiam et finem omnis rationalismus biblicus est *hermeneuticus* (seu *exegeticus*), quia sensum atque argumentum Scripturae supernaturale tollere conatur. Sed quoad medium, quo hoc aggreditur, rationalismus distinguitur *isagogicus* (seu *criticus*) et *stricto hermeneuticus* (seu *str. exegeticus*). Prior auctoritatem (authentiam, fide dignitatem et eo ipso inspirationem) Scripturae negando, alter Scripturam interpretando, ille indirecte, hic directe supernaturalia eliminare vult. Quamquam omnes rationalismi scholae species istas plus minus commiscere solent.

Ad propositum suum assequendum rationalismus varias a saeculo XVIII-o tentavit vias, seu varias excogitavit theorias, quae re melius perpensa ab ipsis rationalistis posterioribus refutatae, irrisae, absurditatis convictae, et tandem relictae sunt, aliaeque theoriae conflictae, mox aliis locum cessurae. Rationalismus antiquus, quum putaret supernaturalia artibus hermeneuticis Bibliis eliminari posse, auctoritatem librorum sacrorum historicam, saltem authentiam non negavit. At quum apparisset, posita librorum sacrorum authentia facta supernaturalia negari non posse: rationalistae theorias isagogicas, jam antea productas, arripuerunt, excoluerunt, et omnibus historiae ac philologiae artificiis authentiam vetustatemque librorum sacrorum convellere nisi sunt. Interim alii religionem revelatam e religionibus et philosophia antiquorum naturaliter derivare tentarunt. Theoriae tamen antiquiores hermeneuticae non omnino relictae sunt, sed pro necessitate identidem reformatae.

Praecipua momenta ac systemata rationalismi biblici sunt sequentia:

- a) theoria fraudis,
- b) theoria accommodationis et interpretationis moralis,
- c) interpretatio naturalis seu psychologica,
- d) theoria mythica,
- e) schola critica Tubingica,
- f) schola isagogica (critica),
- g) theoria mutuationis,
- h) rationalismus eclecticus.

¹ Opus ejus principale: *Der Christl. Glaube*. Berlin, 1821. sq. Deinde 1824. 1897. Praeterea multa opera philosophica et ethica.

3. — Errores rationalismi biblici sunt partim philosophici seu dogmatici, partim isagogici, partim hermeneutici. Fundamentum omnium est rationalismus dogmaticus, seu opiniones praejudicatae philosophicae: possibilitas ordinis supernaturalis negata, ipsa existentia Dei personalis addubitata, imprimis autem horror miraculi. Quantumvis licet rationalismus historiam examenque ejus criticum praetendat, revera non historia ntitur, sed opinionibus a priori conceptis. Non studia historica, nec difficultates Bibliorum theorias criticas et hermeneuticas pepererunt, sed falsa philosophorum placita, quibus hae semper etiam accommodantur. Et non opinioes ad facta historica conformantur, sed facta ad opiniones praeconceptas aptantur ac finguntur. Non ideo supernaturalia negantur, quasi certae historiae repugnant vel in Bibliis incerte tradantur, sed quia a priori impossibilia habentur.¹ (Apriorismus.)

Perfecta ergo rationalismi refutatio ab eversione rationalismi dogmatici incipiat oportet. Nos tamen disputationem philosophicam ad alias disciplinas remittentes, tantum revelationis et miraculorum argumenta paucis verbis in memoriam revocamus, ipsumque rationalismum isagogicum breviter tantum perstringemus. Copiosius tamen pro instituto nostro de theoriis rationalismi hermeneutici disputabimus.

Revelatio est possibilis. Deus enim creator et omnipotens, cum homine communicare, eique sive externis signis, sive interna mentis

¹ D. F. Strauss dicit: »Es giebt überhaupt kein rein historisches Bewusstsein ohne die Einsicht in die Unzerreissbarkeit der Kette endlicher Ursachen, und in die Unmöglichkeit des Wunders.« (Leben Jesu, I. 75. sq.) »Von diesem Standpunkte aus konnten die biblischen Erzählungen, in welchen dieses Gewebe (der endlichen Ursachen) auf unzähligen Punkten durch Einschreitung der göttlichen Ursächlichkeit durchlöchert ist, unmöglich als Geschichte erscheinen.« (L. J. I. 84.) »Wo uns ein Bericht eine Erscheinung oder Begebenheit meldet mit der Behauptung, dass sie unmittelbar durch Gott selbst (Theophanien, Himmelstimmen u. s. w.), oder durch menschliche Individuen in Folge übernatürlicher Ausrüstung durch ihn (Wunder, Weissagungen) herbeigeführt worden seien: da haben wir insoweit keine historische Relation anzuerkennen.« (Leben Jesu, I. 100.) — E. Renan autem scribit: »Nous maintiendrons ce principe de critique historique, qu'un récit surnaturel ne peut être admis comme tel, qu'il implique toujours crédulité ou imposture.« (Vie de Jesus, Introd. LV.) »Il est superflu de combattre l'hypothèse des miracles, parce qu'une telle hypothèse correspond à un tout autre état de l'esprit humain qu'à celui qui a définitivement prévalu.« ((Lettre à ses collègues.)

illuminatione veritatem suamque voluntatem manifestare potest. Absurdum est dicere, Deum post creationem vim suam in mundum perdidisse, vel eum mundi hominumque curam non habere. At revelatio etiam *necessaria* est. Ipsam religionem ac legem moralem naturalem ratio humana difficulter, lente et cum periculo erroris cognoscit, et historia teste corrupit. Si autem Deus hominem ad finem naturam excedentem, scil. filietatem suam destinavit, hunc finem, hujusque media eum necessario edocere debet. Criterium autem revelationis praecipuum est miraculum.

Miracula possilia sunt ex parte naturae et Dei. Ridiculum esset dicere, Deum omnipotentem legibus naturae, quas condidit, coarctari et obligari, nihilque praeter vel contra eas in natura efficer posse. Revera leges naturae creaturas ligant, non creatorem. Non sunt absolutae neque necessariae, sed hypotheticae et Deo per omnia subjectae. In natura quidem constantia et continuitas virium legumque regnat, sed miracula ad ordinem naturae non pertinent. Constat, leges naturae aliis viribus naturalibus fortioribus vinci et quoad effectum suspendi; ergo eo magis viribus supernaturalibus. Perperam dicitur, consilia Dei miraculis mutari; miracula enim non novo decreto statuuntur, sed perinde atque ordo naturae, aeternis providentiae divinae consiliis continentur.

Miracula etiam *necessaria* sunt, non quasi natura finem suum consequi non possit vel correctione indigeat, sed ad finem religiosum et moralem, ut missio legati divini et supernaturalis doctrinae origo testimonio omnipotentiae divinae velut sigillo Dei confirmetur. Nec aliud cogitari potest argumentum omnibus manifestum, firmum imo infallibile, nemini imitabile, quo Deus ad revelationem probandam utatur, quam miraculum.

Miracula certo *cognosci possunt*. Quum miracula sint facta externa, *veritas* eorum *historica* eodem modo cognoscitur atque aliorum factorum, scil. e testimonii fide dignis. Vis autem testimonii non ex interna narrationis verisimilitudine, sed ex criteriis fidei historicae est aestimanda. Etiam *veritas philosophica* miraculorum cognosci potest. Etsi non novimus omnes naturae vires, eas tamen, quae in certo genere factorum, nobis obviorum ac familiarium agere solent et possunt, plerumque optime novimus. Et miracula biblica non in rebus naturae occultis, non in officina physica et chemica, nec in obscura nervorum ac vitae psychicae regione facta sunt, sed in rebus quotidianis et publicis, ubi vires, leges ac limites naturae etiam indoctis constanti experientia (inductione perfecta) patent. Ipsa fides universalis miraculorum experientiae con-

triorum intelligi non potest, nisi miracula aliquando evenerint. Animadvertisendum adhuc est, impossibilitatem miraculorum a rationalistis simpliciter ac temere praesumi, sed rarissime onus probandi suscipi.

§ 100.

Theoria fraudis.

1. — Initium rationalismi biblici fecit editio fragmentorum anonymorum Wolfenbuttelianorum. Horum auctor fuit Samuel Reimarus, qui mortuus opus reliquit, cui titulus erat: *Schutzschrift für die vernünftigen Verehrer Gottes*, quod poëta Lessing Wolfenbuttelii per partes publicavit annis 1774—78. Fragmenta haec Moysen deceptorem et tyrannum, miracula antiqui testamenti fraudes, Baptistam et Christum impostores conspirantes fuisse dicunt. Christum demagogum reformatorem et seditionem meditantem morte punitum esse, quo sublato discipuli regnum ejus in spirituale acceperint vel detorserint. Eadem fragmenta contendunt, evangelia et magnam partem historiae Christi, praeципue miraculosam, consilio fallendi conficta, mendacio et fraude mundo imposita esse. Similiter quidam encyclopaedistae antea et postea locuti sunt. Theoria tamen fraudis non negavit, libros sacros ab iis auctoribus, vel saltem ex ea aetate, quibus adscribuntur, descendere; sed negavit apostolorum et scriptorum sacrorum fidedignitatem (veracitatem, bonam fidem) et historiae evangelicae miraculosaे veritatem.

At calumnia tam impudens et sine ullo arguento prolata ipsos protestantes ac prudentiores rationalistas offendit; immo etiam Lessing eam sibi non probari dixit. Revera totam religionem et culturam Christianam stultissimae fraudi attribuere omnibus sanis et historiae gnaris absurdum ac ridiculum apparuit. Hinc theoriam fraudis ipsi graviores rationalistae respuerunt.

2. — Suspicio consultae fictionis et fraudis ne in *Antiquum quidem Testamentum* cadere potest. Etenim

a) Nemo gratis i. e. sine emolumento mendax est nec impostor. Atqui Moyses et prophetae e testimonio suo plus incommodi quam commodi acceperunt, multi eorum plane maxima mala propter id perpessi sunt.

b) Moyses et prophetae testimonium de *factis publicis*, coram aequalibus rerum gestarum testibus sine contradictione vel refu-

tatione perhibuerunt. Imo Israëlitae coaevi et posteri legem Mosaicam onerosam, fide Moysis innixam acceptarunt, et ultra mille annos reipublicae suae fundamentum habuerunt. Omnes ergo concives una cum Moyse et prophetis testimonium praebent, quos omnes errasse, vel de mendacio inter se convenisse impossible est.

c) Plurima veterum scriptorum sacrorum testimonia *recentiores libri sacri confirmant*; alia in libris A. T. tradita a scriptoribus profanis aliisque antiquitatis monumentis: Josepho Flavio, Philone, rabbini, Manethone, Berozo, inscriptionibus hieroglyphicis et cuneatis confirmantur, nullaque in re falsitatis convincuntur. Quod eo majorem vim habet, quo frequentius narrationes scriptorum profanorum monumentis recentius detectis refutatae sunt.

d) Quod maximum est, *Christus et apostoli*, suam missionem divinam et testimonii veritatem certissimis miraculis probantes, libros A. T. pro fidedignis ac divinis acceperunt, approbarunt et ecclesiae tradiderunt. Testimonia ergo fidei Novi Test. indirecte etiam fidedignitatem Antiqui Test. demonstrant.

3. — Honestas ac fidedignitas *auctorum religionis Christianae et Novi Testamenti* plane potentissimis probatur argumentis.

a) Argumentum *ab apostolorum passione et morte ductum*. Apostoli et alii primi evangelii praecones ex praedicatione vitae Christi nihil commodi ceperunt, nec sperare potuerunt; imo summa mala praeviderunt ac perpessi sunt, et denique ipsam mortem pro doctrina subierunt. Atqui nemo gratis mendax, et eo minus cum tanta propria boni jactura.

Constat apostolos pauperes, contemptos, maximos labores ac persecutioes passos evangelium praedicasse et vitam pro doctrina praedicata posuisse. (Conf. Act. 1, 23. 2, 3. 12, 2. 20, 33. sq. I. Cor. 4, 9—13. etc.) At homines impios et vafros pro mendacio a se facta omnibus bonis carere, imo pessima pati, ipsamque mortem obire psychologicē impossible est. Bene dicit Pascal: Je crois à des témoins, qui se laissent égorger.

b) Argumentum *e testimonio aequalium* cum apostolis consentientium. Primi fidei praecones facta publica, et quidem primo iis, qui vitae Christi testes fuerant, vel saltem testes consulere poterant, praedicarunt. Atqui impossibile est in causa publica coram testibus mentiri et iis, quod falsum esse sciunt, persuadere. Tale enim mendacium manifestum vel facile refutabile fidem facere non potest, imo auctorem ejusque doctrinam traducit ac perdit. Accedit, quod historiae Christi admirabili superstructa est

doctrina, superbiae mentis et passionibus cordis adversa. Quo ergo facta evangelica erant mirabiliora et quo majora imponebant incommoda, eo evidentiora fuerint, necesse est.

Vita Jesu Christi publica fuit et notissima, utpote aetate historica in provincia imperii Romani frequentata, coram magistratibus Iudeis et gentilibus acta. Ita e. g. commotio urbis propter adventum magorum, solemnis Christi in urbem introitus, crucifixio, plurima miracula etc. Pro his vel contra haec omnes Hierosolymitae testimonium dare potuerunt. Multi primorum Iudeo-christianorum, qui apostolos audierunt vel eorum scripta legerunt, testes erant oculati vel saltem auriti praedicationis atque operum Christi. Testes vitae Christi ad finem saeculi I. pervenerunt. De origine Christi genealogiae et tabulae census, de morte autem alia documenta publica exstabant. Quadratus in apologia ad Hadrianum (anno 124.) data ad testimonium eorum ipsorum adhuc viventium, quos Christus sanaverat et resuscitaverat, provocat. Justinus Mart. in apologia ad Antoninum imperatorem etiam acta census Quirinii allegat. Facillime religio Christiana in primis cunabulis oppressa esset, si factorum evangelicorum falsitas demonstrari potuisset, cui negotio Iudei certe non defuissent.

c) Argumentum *e sanguine martyrum*. Constat primos Christianos non modo multis bonis renuntiasse et maxima suscepisse incommoda, verum etiam multa milia eorum, nobilium ac plebeiorum, doctorum atque indoctorum, vitam et sanguinem pro Christo et historiae evangelicae veritate profudisse. Atqui vita sua cuique cara, quam certe nemo sanus, quin tantae jacturae rationes perpendat, et pro re, de cuius veritate sibi indubie persuasum non sit, dimittit, nec primi Christiani indeliberate abjecerunt.

Religio Christiana, veritati historiae evangelicae innixa, primis sectatoribus philosophiae assuetis fidem et mysteria, eloquentia delectatis stylum simplicem ac barbarum, voluptatibus deditis carnis mortificationem obtulit, et in terra nihil boni sed multum mali promisit: ignoriam, bonorum jacturam, odia parentum, persecutioes, cruciatus ipsamque mortem. Teste Tacito (Ann. XV. 44.) sub Nerone (anno 64. p. Chr.) ingens Christianorum multitudo crudelissimis cruciatibus Romae sublata est. Sub Domitiano (81—96.) persecutio recruduit, et saltem decies repetita per totum fere orbem grassabatur. Vix manus carnificum per tria saecula quievere, vix flammae rogorum extinctae. Tamen Plinius jun. ineunte saec. II. in epistola ad Trajanum fatetur, magnam Asiae partem esse Christianam. Et ut Origenes dicit (Cels. 7, 39.),

facilius Christiani vitam pro Christo profuderunt, quam philosophi laciniam vestimenti pro doctrina sua dimiserunt. Ipse Julianus apostata mirabundus fassus est, Christianos ita ad supplicia festinare, sicut apes ad alveum. At Christiani antiquissimi narrationis evangelicae veritatem a testibus viventibus edoceri, multi autem eruditi documenta tunc adhuc existantia consulere et examinare quiverunt. Unde his omnibus tanta vis et constantia, nisi praeter gratiam Dei eos confortantem ex indubitata factorum supernaturalium, quae religio Christiana praedicabat, veritate?¹¹

d) Argumentum *a novitate religionis Christianae*. Scripta Novi Testamenti ideam Dei-hominis inauditam et mirabilem, sistema metaphysicum et dogmaticum omnem philosophiam antiquam et modernam exsuperans, ethicam perfectissimam ab ipsis rationalistis miratam continent, quae nemo philosophorum sive antiquorum sive modernorum efficere potuit, et quae a historia evangelica inseparabilia ex eodem cum hac fonte manant. Atqui absurdum est, exemplar sapientiae et virtutum stupendum, sistema dogmaticum et morale perfectissimum ab improbis impostoribus, stylo teste indoctis, conficta esse, idque eo magis quod ea etiam ideis atque exspectationibus Iudeorum, et philosophiae ac moribus gentium contraria sunt. Certe nec apostoli, nec eorum discipuli tanto perfectionis exemplari fingendo et doctrinae tam sublimi excogitandae idonei fuerunt, sed exemplar ad verum pinxerint et doctrinam ab ore doctoris sapientissimi hauserint necesse est.

¹¹ Quidam recentiorum hoc argumentum labefactare conantur. Jam saec. XVII. Dodwell anglicanus librum scripsit *De paucitate martyrum*. Saeculo XIX. F. Görres et multi protestantes dixerunt, ante Trajanum persecutionem nominis Christiani universalem ac leges contra Christianos non exstisset; ab ipso Nerone paucos tantum Christianos Romae sub praetextu incendii interfectos esse. Nuper autem (annis 1886. et 1890.) Th. Mommsen, cui Harnack et alii assensi sunt, contendit, Christianos non a potestate ac lege Romana, sed a plebe tumultuante, nec religionis sed criminum objectorum causa, etquidem non actione criminali (apud tribunalia), sed via tantum administrativa (coercitione) vexatos atque necatos esse. Verum historia multitudinem martyrum, jam saeculo primo a potestate publica, lege Romana et religionis causa (nihil refert utrum via judiciali, an coercitiva) interemptorum certo certius testatur. — Cf. Mommsen, Röm. Gesch. Berlin, 1886. et Der Religionsfrevel nach römischem Recht, 1890. C. F. Arnold, Die Neronische Christenverfolgung, Leipzig, 1888. P. Allard, Le christianisme et l'empire romain, Paris, 1898. Stimmen aus M. L. 1887. t. XXXII. 1898. t. LV. J. E. Weis, Christenverfolgungen, München, 1899.